

necessitatis heros suos deserunt. Talis domus erat Naamanis, quem servi ejus vocabant patrem, et salutari consilio admonebant, male sibi consulentem, IV. Reg. IV. talis domus Jacob, qui cum edixisset convocata omni domo sua: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta: surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, etc.* Dederunt ei omnes deos alienos, quot habebant, et inaures eorum, at ille infudit ea, Gen. XXXV. Felix illa domus, in qua dominus invehitur in via suorum, eaque per pœnitentiam deleri jubet et sepeliri: similiter in qua domestici tam prompte ac sincere obediunt, culpas suas fatentur et expiant. Talem etiam credo fuisse domum Zacchæi, quæ subitæ ejus conversioni ne verbo quidem contradixit, sed potius mox subscrispsit, seque ipsi conformavit; sed fere in patribus et matribus familias situm est, quales servos et ancillas habeant. Quemadmodum enim equi Turcici, ut testatur Augerius Busbequius, epist. III. legat. Turc. mansuetissimi sunt, dominos suos cognoscunt et amant adeo, ut dominis conspectis vel auditis adhinniant, eos quaquaversum ultra sequantur, jussi procumbant in genua et sessorem ita recipiant: bacillum aut ensem mordicus humo attollant et domino porrigant insidenti, etc. quia blandissime educantur a Turcis, qui frequenti palpo eos sibi conciliant, et quasi liberorum instar omni cum lenitate tractant, nec nisi magna cogat necessitas, fuste castigant, (cum tamen equi nostri refractarii, mordaces, et calcitrosi sint; quia nimirum a curatoribus suis truci tantum voce objurgantur et fustibus tunduntur, unde fit ut ad eorum ingressum in stabulum, equi toti cohorent, et eos perinde oderint ac metuant). Ita fere res habet cum domesticis. Recte itaque monuit, Eccl. cap. IV. *Noli esse quasi leo in domo tua.*

V. Pittacus: *In qua neque requiruntur supervacanea neque desiderantur necessaria.* Non male et iste; ut enim duo sunt in mari loca periculosa a veteribus celebrata, Scylla et Charybdis, inter quæ summa erat opus avigantibus attentione (nam qui effugiebat primum, incidebat in secundum); ita duo extrema periculosa sunt, divitiae et paupertas: quæ utraque fugiebat Salomon dicens Deo: *Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar; mendicitatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum viclui meo tribue necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer et perjurarem nomen Dei mei, Prov. XXX. Nimirus divitiae extollunt et mergunt facile in interitum: mendicitas ad impatientiam, invidiam, furtum et simili-*

lia vitia trahit. In hunc sensum explicat Plato, lib. III. de leg. id Henod. *Dimidium plus toto.* Neon et Pittacus, apud Laertium, qui ubi sponte se abdicasset magistratu, agri sibi a Mytilenæis relicti dimidium resecuit, auctore Socrate, dicens, præstabilius esse toto. Idemque pecuniam a Croeso missam recusavit, respondens, sibi dimidio plus esse, quam vellet. Quidni dicimus etiam ejusmodi domum fuisse domum Zacchæi; qui dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, dimidium sibi retinuit, quasi securius forte intellexisset dimidio vicitare quam toto?

VI. Chilon: *Quæ similis est urbi, in qua sapiens rex imperat.* Communiter enim dicitur: Qualis rex, talis grex. Exemplo est domus Salomonis, quam cum ipse sapientissime regeret, omnia etiam a famulis sapienter et accurate siebant, et cum ingenti cura mensæ regis necessaria præbabantur tempore suo, omniaque tam pulchro ordine peragebantur ut obstupesceret regina Saba, ut videre est, III. Reg. IV. et X. Ex quo et illud boni consequebatur, ut subditi Salomonis eo regnante habitarent absque timore unusquisque sub vite sua et sub fico sua, III. Reg. IV. Porro melius regi familia non potest, quam si ad Dei cultum et timorem, morumque integritatem insitutuunt et instigentur, ut dicit Scriptura, Eccl. XII. *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo,* quasi diceret: In ea posita est felicitas hominis. Talis familia, quæ auscultat Deo, et servat mandata ejus benedicitur a Deo et bonis omnibus cumulanda promittitur, uti habetur Levit. XXVI. cum ait: *Si in præceptis meis ambulaveritis et mandata mea custodieritis et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur,* etc.

Porro uti regis est, non mandare tantum, sed præire etiam exemplo; felix illa domus est, quæ talem habet patremfamilias, qui suis doctrina et exemplo præit in timore Dei, uti faciebat centurio, de quo Act. X. dicitur: *Erat vir religiosus, et timens Deum cum omni domo sua, faciens cleemosynas multas plebi et orans Deum semper: item regulus evangelicus, qui: Credidit, et domus ejus tota.* In Josephi somnio parterfamilias comparatur soli, materfamilias lunæ, filii stellis, Gen. XXXVII. *Vidi solem et lunam et stellas undecim adorare me,* id est, patrem, matrem et fratres meos, quia scilicet paterfamilias debet in domo lucere velut sol et cæteros illuminare. Talis rex et talis sol in domo sua Zacchæus fuit quia sua conversione totam illustravit et accendit domum suam: qui proinde merito postea est a Sancto

Petro factus episcopus Cæsareæ Palæstinæ, apud Clem. lib. et III. recog. dignus scilicet regere Ecclesiam, qui tam bene rexisset domum suam.

Quamvis igitur hi sapientes responderint sapienter: verius tamen dicemus, eam domum esse felicissimam, in qua hospitatur Christus, qualis fuit domus Zacchæi, in quam omnia felicitatis argumenta dicta simul confluxisse videntur. Ergo, auditores, si optimam et felicissimam desideratis domum vestram, invitare ad eam Christum, et Zacchæum imitamini.

CONCIO V.

CRUCIS HONOR ET CULTUS OSTENDITUR, DEFENDITUR.

- I. Quia ara summi sacrificii. — II. Quia scala Christo ad gloriam. — III. Quia instrumentum redemptiois nostræ. — IV. Quia miraculose servata. — V. Quia repræsentat Christum. — VI. Quia miraculis coruscata. — VII. Quia semper in Ecclesia honorata.

THEMA.

Ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum.
Luc. XIX.

Quoniam nihil est in s. evangelio, quod suo mysterio careat: querat fortasse aliquis, quid tandem sibi velit aut significet sycomorus? S. Augustinus, serm. VIII. de verbis apostoli, ait, significare crucem Christi; siquidem sycomorus, ficus fatua exponitur; hujusmodi autem arbor crux est apostolo testante, I. Cor. I. *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Monet vero ibidem Augustinus, ut si Christum videre velimus, arborem hande condamamus: *Apprehendat Zacchæus sycomorum,* inquit, *ascendat humili crucem.* Parum est, ascendat, nede cruce Christi erubescat. In fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, etc. Et quidem nos, Christiani, a parte Zacchæi stamus, sycomorum haud erubescimus, crucem veneramur et in ea gloriamur. Sed quid Lutherani et Calvinistæ? Toti nobis adversantur et non minus, quam gentiles crucem pro stultitia habent et pro fico fatua. Lutherus certe in formula missæ pro Ecclesia Wittemberg. tom. II. lat. Wittemb. scripsit festa crucis exterminanda, imo anathematizanda et diris devovenda esse; et in conceione de exaltat. crucis ait: « Optarem ut everterentur omnes crucis, quæ sanguine sudarunt, per quas peregrinationes et aliae nugæ introductæ sunt et tot errores et abusus exorti. Ad diabolum cum hujusmodi imaginibus; nullius enim boni causa sunt: » et in lib.

de bello contra Turcam, tom. II. Germ. Wittemberg. Similes essem, inquit, videremque in acie sacerdotem aut vexillum cruce insignitum vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem quam si me ipse diabolus fugaret: et in concionibus de invent. et exalt. crucis, asserit se crucem, si qua ejus particula ei suppeteret, in cineres redacturum; item eo projecturum quo sol radiis suis nunquam accedere posset. Calvinus inter alias erga crucem hostilitates prohibuit, ne image Christi crucifixi et collo gestaretur: libenter paruerunt Calvinistæ, et loco imaginis Christi gestarunt aureas argenteasque imagines Calvini; de quo, cum quidam Calvinum admoneant, respondit: *Si quis hoc spectaculo offenditur, eruat sibi oculos vel abeat cito et suspendat se,* Guil. Reginal. I. II. Calvino Turcismi, c. XVIII. Et quantum chaos, auditores, inter nos et vicinos nobis hæreticos. Accurrimus nos ad crucem; aufugiunt illi a cruce. Quæ enim nobis gloria et sapientia est, illis ignominia et stultitia est, quia nimirum Zacchæi seu humiles esse nesciunt, ideo nec Christum vident, nec videbunt unquam. Sed nos ostendamus cultum s. crucis.

I. Probatur, quia fuit ara summi sacrificii, in quo Christus summus sacerdos sacrificavit seipsum, et reconciliavit Patrigenus humanum, teste apostolo ad Heb. VII. unde Chrysost. hom. de cruce et latrone: *Vide, inquit, sacramentum: ecce ipse offert, ipse sacrificium et sacerdos fuit, et crux altare.* Præfigurata autem fuit in altari holocausti, Exod. XXVII. quod de lignis Setim imputribilibus erigi extra castra præcepit Deus, ut illo quotidie immolaret agnus. Sic enim in cruce nunquam eos rumpenda immolatus est Christus, qui est agnus occisus ab origine mundi, extra castra, id est, extra Jerusalem, ut ait apostolus ad Hebr. XIII.

II. Quia fuit Christo gradus et quodammodo scala ad regnum et exaltationem nominis sui in universo mundo; siquidem apostolo attestante ad Philip. II. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Unde quoad hoc præfigurata fuit in scala Jacob, Gen. XXVIII. quæ a terra pertingebat usque ad coolum, cui desuper innixus erat Dominus; ita enim August. in serm. LXXIX. de temp. *Quid est, inquit, in scalam incumbere, nisi in ligno pendere?* Dum ergo in hanc scalam Dominus incubuit, per eam quodammodo ascendit ad summam coeli gloriam et supremum dominatum.

III. Quia fuit instrumentum redemptiois nostræ a tyrannide diaboli, trophyum item victoriae Christi erectum contra diabolum. Unde sicut He-

brae gladium Goliathi, quo David interfecit Goliam, liberavitque simul totum Israeliticum populum de manu Philistiorum, loco sacro posuerunt veluti rem sacram, I. Reg. XXI. ita multo sequitur observamus noset colimus venerandam crucem, quam velut proprio gladio diabolus peremptus fuit: unde Macarius Chrysocephalus archiepiscopus oratione in exaltatione sanctae crucis, apud Gretser. tom. II. de cruce ait: « David pastor ovium simule rex instrumentum, quod mortis aliquando causa erat, in presidium salutis verti posse docuit, illudque infra tabernaculi adyta illatum Deo dedicavit. Christus autem cunctarum rerum rex verusque pastor omnis naturalis creaturae, ligno crucis, quod olim perdidit hominibus cacodemoni instrumentum erat, in argumentum salutis transmutavit, occiso tyranno et mundo libertate restituta. Quapropter nos etiam gratias agentes exaltamus et exosculamus crux, Dei gladium, etc. » Sic ille. Est et trophyum victorie Christi et liberationis nostrae; siquidem teste apostolo ad Coloss. II. Christus: Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, (quia scilicet eo obligamus ad paenam aeternam) tulit de medio, affigens illud cruci, id est, cassavit et annulavit in cruce. Annon igitur nobis ratio sufficiens colendi et venerandi crux? Narrat Spartanus in Hadriano, Hadrianum imperatorem ad conciliandam sibi populi gratiam infinitam pene pecuniarum scilicet (vixi septem millionum auri) summam, quae fisco debebatur, remisisse privatis debitoribus, eorumque syngraphas in foro Trajanii combussisse. Atqui longe majus debitum nobis a Christo remissum, abolitum et combustum est ligno s. crucis. Quis ergo non adoret venerabilem hoc lignum, quo mediante debita nobis insubilia, deleta et exusta sunt?

IV. Quia usque ad 300. annos inter hostes sibi infensissimos, Iudeos et gentiles salva et incomptis latuit; ac primum sub Constantino imperatore, eo videlicet tempore, quo jam secure honorari a Christianis poterat, mundo patefacta est non sine divino impulsu multisque miraculis. Nimirum noluit Deus hostibus eam prodere et pretiosam hanc margaritam projicere ante porcos: noluit sumere panem filiorum et mittere canibus. Nobis decreta erat, qui eam debite honore eramus prosecuturi. Sed et cum a Chosroe Persarum rege nobis intercepta fuit, detineri nequaerit. Nam imprimis in Perside delata et ab hostibus abducta, illos ipsos in sui admirationem et venerationem convertit, et aliquos ad Christum traxit, uti Anastasium martyrem, ut in actis ejus, apud Sur. 22. januarii. Omnis enim Persarum regio ad sancte crucis adventum insolito quodam pavore inhorr-

ruit, et ubique fama increbuit, Deum Christianorum Persis adesse; eo fere modo, quo olim area foederis a Philistis capta, tum etiam ostendit, quam potente vi praesentis Dei armata esset, I. Reg. XV. Certe post annos quatuordecim, quibus in Perside captiva detenta fuerat, recepta est ab Heraclio imp. et quidem maxima cum Persarum clade, tribus eorum ducibus, et exercitibus superatis, Chosroe vero ipso fugato et occiso a proprio filio; nec minor gloria et miraculo reposita est in locum suum, quam prius inventa fuerat; siquidem Heraclius cum eam suis humeris eo quo Salvator tulerat, referre omnino conaretur, regio adornatus cultu, nequam potuit; sed in porta insistere coactus monitu Zachariae Jerosolymitanorum antistitis, posuit amictum regium, veluti parum similem Christi paupertati, et plebeio indutus habitu, tum domum absque ullo labore et molestia progredi potuit, breviar. Rom. Sigebert. in chron.

V. Quia representat nobis Christum velut imago, vel vicarius aut legatus ejus (non enim ut lignum praeceps veneramur) sicut calumniantur haeretici (sed ut imaginem Crucifixi) estque non solum ejus contactu sanctificata, sed et pretioso sanguine tincta. Constat enim, legatis et vicariis ex persona dominorum maximam accedere dignitatem; coronae item, purpure, et throno ex persona regis. Angli vacuam regis sedem circumstant ac venerantur veluti si rex in ea sederer: jure ergo et David de hac cruce dixit: Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est, Psalm. XCVIII.

VI. Quia per eam plurima et testatissima miracula patrata sunt, et patrantur in hodiernum: fugantur daemones et prestigiae, pelluntur morbi et pericula, sanctificantur creature ad plurimorum varia utilitates; ut alibi dictum. Jam si lapidem vel herbam aliquando tanti pendimus, et in rebus charissimis numeramus ob insolitos quosdam effectus: quare crux tot miraculorum orbis toti cognitorum effectricem non suspiciemus, et convenienti cultu afficiemus? Ipse Deus tot miraculorum gloria crucem honoravit, et nos honore debito spoliabimus?

VII. Quia perpetuo Ecclesiae usu semper culta et honorata fuit, non modo prima illa Christi Domini, sed etiam reliquiae ad ejus imitationem factae, ut videre est apud Tertullianum, lib. de corona militis; Hieronymum, in epist. ad Marcellam; Cyrillum, lib. VI. contra Julianum, ubi apostata cultum crucis objicit Christianis loco proibit. O miseros, qui crucis lignum adoratis! Certe ss. patres eam passim miris laudibus extollunt, reges et imperatores ad honorem ejus, sup-

plicium crucis sustulerunt, crux pro vexillo suo gesserunt, diademati suo imposuerunt, etc. Ecclesia denique tota miris modis honoravit. Quis autem sancte mentis credat, Ecclesiam totam tanto tempore in tam gravi et idolatrico (ut volunt) errore derelictam fuisse, et latuisse omnes alias quantumvis oculatos doctores Ecclesiae, quod postea viderit Lutherus et Calvinus cum paucis aliis? Annon ipse Lutherus hoc argumento convictus scripsit in prefat. lib. de abroganda missa privata, tom. II. lat. Wittemb. « Quoties mihi palpitavit tremulum cor, et reprehendens objecit eorum fortissimum et unicum argumentum: Tu solus sapi? Totne errant universi? Tanta saecula ignoraverunt? Quid si tu erres, et tot tecum eorum trahas damnatos aeternaliter? » Sic ille, rem acu tangens. Sed audiamus et alteram partem.

Primo, objiciunt nobis: Crux attulit Christo dolorem et ignominiam, videtur igitur potius detestanda, quam colenda ab iis, qui amore Christi tanguntur. Respondetur, crux non tantum Christo peperisse dolorem et ignominiam: sed etiam gloriam et exaltationem sui nominis in celo et in terra, ut vidimus ex apostolo, et quidem longe maiorem, quam fuerit dolor et ignominia, longeque durabilior: dolor enim et infamia temporalis fuit, gloria aeterna manet. Propter primum gaudebant de cruce et passione Christi, hostes ejus: propter secundum gaudeamus nos.

Secundo, stultus et impius esset filius, qui coleret patibulum, in quo parens ejus suspensus fuisset: hoc autem nos facimus ergo. Respondetur si parens filii non sua culpa, sed aliena crudelitate in patibulo suspensus fuisset indeque patri non solum maxima gloria, sed et honor et virtus efficiendi mirabilia ipsi patibulo, ingens insuper fructus et emolumentum filio partum esset: nequaquam stultum et impium fore tamen filium, qui coleret tale lignum; sed pium potius et prudentem futurum. Cum ergo Christus in cruce non sua, sed aliena criminis expiarit, et per summam injuriam in eam actus fuerit indeque ipsi sibi gloriam immensam, cruci vim patrandi tot miracula, nobis vero salutem pepererit: ingrati potius et stulti foremus, si crux non coleremus.

Tertio, si colendas sunt omnes cruces, quia Christus in cruce peperit; pari ratione colere oportebit omnia sepulcra, et flagella, omnes clavos spinas, lanceas, arundines, columnas, imo omnes asinos et labia Iudee et manum militis percutientis, quia Christus in sepulcro jacuit, flagellis cæsus, clavis confixus, spinis coronatus, lancea perfossus, arundine percussus, columnæ alligatus et asino vectus, et Iudee osculo exceptus, et

a servo improbo in domo Annae percussus fuit. Resp. honorari a Christianis Christum primo, et quia Christi corpus contigerunt, velut hoc contactu sanctificata et virtute supernaturale imbuta, ut de simbria Christi, de umbra Petri, et semi-cincti Pauli testatam habemus in Scriptura. Secundo, ea, quæ ad prædictorum imitationem et representationem facta et fabricata sunt; uti cenotaphia in memoriam Christi sepulti, præsepiæ ad imitationem præsepis Christi fabricata, columnas item in agris et viis ad imitationem illius columnæ, ad quam flagellatus est Dominus, erectas, quia sic induunt et subeunt rationem imaginis rei sacræ; omnis autem imago rei sacræ religiose colenda est. Non autem honoramus ea, quatenus illis quomodocumque similia sunt sed quatenus ad illorum imitationem et representationem expressa et effigiata, adeoque imagines illorum sunt. Ovum enim ovo simile est sed ejus imago non est, quia de illo expressum non est, ut docet S. Aug. Jam vero crux prima, in qua pendit Christus, utroque titulo honoranda est, quia Christi contactu sanctificata est, et præterea Christum crucifixum nobis representat: crucis vero aliæ, quas pinguis et fabrifacimus, posteriore solum, quia sunt imagines primæ illius crucis adeoque Christi crucifixi. Sed non honoramus alia sepulcra, flagella, lanceas, spinas, clavos, etc. quia neutrum titulum habent: neque enim Christum contigerunt, nec imagines illius primi sepulcri, flagella, clavæ, lanceæ, etc. sunt; nisi forte ad representationem illorum imitatione quadam fiant, quo casu rationem imaginis induunt et haud dubie coli possunt: hinc crucis, quæ alio fine sunt veluti ad fines agrorum discernendos, etc. nequaquam honoramus. Quod attinet ad asinum, labia Iudee et manum servi percutientis et alias hujusmodi imagines et reliquias, eas hereticis colendas et osculandas relinquaremus, ut saltem non careant omnibus omnino reliquiis et imaginibus: siquidem catholici non patientur facile se adduci, ut haec pro reliquiis collant. Præterquam enim quod sciunt ea tantum colenda, quorum cultus nullam præ se fert absurditatem, sciunt etiam hoc; asinum, cui insedit Dominus, nec fuisse aram, in quo cruentum illud sacrificium pro salute mundi peractum sit neque scalam per quam ascenderit ad gloriam suam: nec gladium aut instrumentum, quo daemone devicerit et ab eo redemerit: nec servatum aliquo miraculo et ad nos transmissum: nec Christum representare: nec daemone fugasse aut alia mira patrasse: nec unquam ab Ecclesia cultum esse. Et si nihil horum congruat asino illi, cui insedit Dominus, quo-

modo aliis congruet asinis : maxime cum isti non sint imagines illius, sed fratres ? Idem respondeamus illis, cum ogganiunt, cur cruci et non asino, laqueo Judæ et Pilati tribunal festum instituimus. Hoc enim adhuc facere noluimus, ne Calvinistis et Lutheranis tantorum festorum gloriam præripemus : quibus omnia in solidum transcribimus, ut iis pro libito uti possint. Illud mirum, quod hoc hominum genus adeo delectetur asinis. Etenim Lutherus crebro asinos eructabat, nec eruavit dicere, papistam et asinum esse unum, teste Burio, in comment. pag. CCLXI. Calvinus etiam calumniatur, in lib. de reliquiis, nos caudam asini, cui insedit Christus, pro reliquiis venditasse et populo honorandam proposuisse. Gens etiam Lutherana quoties pingit summum Christi vicarium forma asinina ? Nimurum hoc a gentilibus mutuatis sunt, qui teste Tertull. in apol. cap. XVI. calumniabant Christianos colere asinum, et picturam proponebant forma asinina, quasi Deum Christianorum. Sed ut illi a Christianis tunc irrisi sunt, ita ridemus nunc hæreticos, quia ut apparet, eumdem cum illis spiritum habent. Quod de labiis Judæ et manu servi alapizantis inspergunt; scire debent fuisse membra hominum sceleratum, et proinde incapacia omnis sanctificationis.

Quæ porro contra crucem garrit Lutherus in concionibus duabus separatis editis de inventione et exaltatione crucis, meræ sunt calumniæ. Quæritur ibi primo, sumptuosa nimis templum cruci erigi. Sed hoc fecere jam olim Sanctus Helena, Constantinus Magnus et alii quorum institutum Deo placitum fuisse, sæpe miraculis ostendit. Studium hæreticorum nullo adhuc divino judicio, approbatum scimus. Queritur secundo, pauperes negligi, dum crucis auro et argento ornantur. Sed video mihi Judam audire, qui querebatur effundi unguentum in pauperes expendendum, non quia ipsi cura erat de pauperibus, sed quia fur erat. Quid, quæso, expilatores ecclesiastarum hæretici contulere in usum pauperum ? Majores nostri, et in pauperes et in templi liberales fuere et tamen abundavere. Queritur tertio, certis quibusdam in locis majorem populi accusum fieri ad s. crucem, quam in aliis ; quasi una altera potentior sit. Sed quid mirum hoc aut novum ? Annon, Gen. XXVIII. testatur Jacob magis religiosum et divino cultui sacrum locum esse illum, in quo Deum scalæ innixum vidit, quam alios ? *Quam terribilis locus iste, inquit, non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli?* Et quid mirum, si crux Dominica, Christi sanguine imbuta et sanctificata majorem vim obtineat, quam imagines ejusdem ? Queritur quarto, præceptum Christi eludi utpote qui spirituale tantum cru-

cem fere nobis præceperit, non materialem. Non noverit Lutherus primo, si nihil agendum est nisi quod Deus expresse præcepit, perperam igitur agunt Lutherani ; cum eucharistiam suam mane percipiunt, cum dies apostolorum festivos agunt, cum dominicam pro sabbato celebrant, cum crucem in templis suis retinent vel memoria tantum causa. Deinde, ubi hoc ipsum dogma scriptum est, nihil esse faciendum aut credendum, nisi quod in Scriptura præceptum aut contentum est ? Secundo, scire nos quid sit ferre crucem Christi, nescire tamen ubi vetitum sit gestare crucem ipsam materialem. Hoc ubi nobis ostenderit, cessabimus a cœpto. Denique, nugatur integrum domum construi ex particulis s. crucis, quæ hinc inde ostenduntur, si in unum colligerentur. Liberalius Calvinus, in lib. de reliquiis asserit particulis ille ferendis ne trecentos quidem homines sufficere aut integrum navim. Animosius mentioniuntur adhuc alii, ne decem quidem naves Batavicas. Sed, quid si his tenebrionibus opponamus unum Sanctum Cyrillum episcopum Hierosolymorum, testem, ut ita dicam oculatum ? Scribit in catech. IV. ligno crucis universus terrarum orbis per partes repletus est : et catech. XIII. *Per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est.* Quomodo hoc fieri potuit, nisi per miraculosam crucis restaurationem ? Cujus idem ipse testis esse videtur, catech. X. Quid si addam et Paulinum itidem sanctum et episcopum ? Is, ep. XI. expresse scribit : « *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat et intacta permaneat.* » An potius credere oportebit Luthero et Calvino, quam Cyrillo et Paulino, viris dignitate, sanctitate et antiquitate præcellentibus, quorum ille crucem curæ sue commissam habuit ? An forte impossible erit, quod possibile fuit in multiplicatione panum, Joannis VI. Et in reparacione arenæ indeficiente in loco, ex quo ascendit in celum Christus, quod testatur etiam Sanctus Paulinus, loco citato, et Sulpitius, lib. I. historiæ sacrae.

Quare, auditores, ascendamus cum Zacchæo in sycomorum ; ea enim nobis est arbor sapientissima, etc.

DE QUADRUPLCI TEMPLO MYSTICO.

Christus. — II. Deipara. — III. Mundus. — IV. Christianus.

THEMA.

Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Vox Ecclesiæ.

Sanctum jure merito decimus templum illud, quod Deo consecratum ejusque cultui dicatum est. Et quis non magis sanctum dicat esse templum illud, quod non solum Deo dicatum, sed præterea etiam a Deo ipso architecto ædificatum est ? Tale templum Christus est, tale templum Deipara est, tale templum mundus est, tale denique Christianus est ; Dei structura est, Dei ædificatio est. Quare nunc templo illo, quod ex lignis et lapidibus compactum est relicto, consideremus tempora alia ; quæ hoc insigniuntur nomine.

I. Est Christus seu humanitas ejus, quemadmodum ipse testatur : *Solvite templum hoc, etc.* Joan. II. Quod dicebat de templo corporis sui, uti mox exponit Joannes. Templum autem vocatur primo, quia in Christi humanitate habitavit Verbum Dei per unionem hypostaticam, et ut ait apostolus ad Coloss. II. *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, non umbratice, ut olim in propitiatorio : nec phantasticæ, ut voluit Manichæus : sed vere, realiter, et substantialiter : nec in anima tantum, sed etiam in corpore.*

Secundo, quia humanitas Christi ad instar aliquæ templi exornata fuit omni virtutum genere : et quemadmodum in templo Salomonis nihil cernebatur nisi aureum, vel auro tectum : ita in Christo omnia ejus opera erant aurea, id est, infiniti valoris, omnis generis virtutes in excellētissimo gradu, gratia excellentissima, anima ejus data visione beatifica.

Tertio, quia sicut templum, Deo dicatum et ab omni labe purum esse debet ; in eo ablūuntur peccata : offeruntur preces et sacrificium Deo : sic vero templum Dei corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum : vere templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, ut ait Ambros. in Psalm. XLVII. Sane in Christo et per Christum offerimus preces nostras, ut scilicet in eo quasi in templo sanctificantur, et gratæ Deo Patri reddantur. Denique, in humanitate sua quasi in templo Christus peregit sacerdotium suum, præsentim quando in ea carnem suam Deo immolavit.

Quarto, quia ut in extirpatione templi Salomoni nec malleus nec serra unquam audita fuit,

VI. PARS FESTIVALIS.

III. Reg. VI. ita corpus Christi mira et sola Spiritus s. operatione elformatum fuit in utero Virginis ; nulla humana accessit opera.

Quinto, quia ut templum Salomonis spoliatum et vastatum fuit ab hostibus ; sed postea restauratum et restitutum pristino decori est : ita Christus in passione despoliatus et deformatus fuit sed in resurrectione sibi restitutus maxima cum gloria.

II. Est Deipara virgo. Vocatur enim ab Ecclesia : *Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti : a Chrysostomo, in ejus liturgiæ : Animatum Dei templum : a Cyrillo Alexandrino, homil. VII. contra Nestorium : Indissolubile templum.* Templum autem recte vocatur : primo, quia in ejus utero virgineo quasi in templo sanctissimo Christus novem mensibus habitavit, dum ex ea carnem assumpsit, et admirabile incarnationis mysterium in eo quasi in templo celebravit.

Secundo, quia instar templi omni virtutum splendore adornata et dota fuit, adeoque ab omni labe pura, ut nihil in ea esset, quod oculos divinæ majestatis offenderebat ; quemadmodum et in templo nullæ sordes tolerari debent. In fabri-
cam templi Hierosolymitani præparavit David in-
gentes thesauros, copiam gemmarum, auri et ar-
genti, æris et ferri ; cuius rationem dat, I. Paral.
XXI. *Opus enim grande est, inquit, neque enim ho-
mini præparatur habitat, sed Domino Deo.* Quæ
ratio etiam ostendit, Deiparam omni gratiarum
generi fuisse adimplendam, et Spiritu sancto
cooperante præparandam, ut dignum Fili Dei ha-
bitaculum effici mereretur. Neque enim homini,
sed Deo præparabatur.

Tertio, quia templum est locus immunitatis et venerationis ac oblationum. Deipara similiter est asylum miserorum et refugium peccatorum : unde Anselmus, in invocatione Virginis, eam templum misericordiæ vocat cum Augustino, serm. II. de assump. Qui ergo se reum novit, ad templum hoc confugiat. Non enim per violentiam ex-
trahit eum Christus, qui iratam ipse Deum Patrem primus in hoc placavit ; nec ægre ferre po-
test, si ipsum imitemur. Deinde, eam summe ve-
nerari, ac per eam nostras oblationes Deo offerre decet.

III. Est mundus. Hunc enim pro templo agno-
verunt primo, gentiles, qui vel idcirco mundo
ædem rotundam statuerunt, mundumque nomi-
narunt, ut Cato, apud Festum, in conjur. civ. ait ;
vel nullum omnino templum erexerunt, quod
mundum universum numinis templum dixerunt,
uti Persæ, qui solem deorum dicebant maximum.
Diogenes, apud Plutarch. lib. de tranquil. an. di-
xit : *Mundus est fanum quoddam sanctissimum et*

CONCIO VI. AUCTARII.

Deo dignum. Deinde, Christiani : eum enim objicerent eis gentiles tempore persecutionis, quod tempa non haberent, responderunt christiana libertate, Dei templum esse universum hoc, quod cernitur, vel quæ latiores complectitur ambitus, mentem suam, apud Baron. anno 211. Denique, Baruch etiam, qui cap. III. ait : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!* Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus. Ibi fueru... gigantes, illi, etc. quibus verbis non sane intelligit templum Hierosolymitanum; nec etiam cœlum solum : quia non fuerunt ibi gigantes et templum suum habuit finem. Ergo hæc Dei domus totus mundus est, quem triplicem depinxere veteres correspondentem tribus partibus templi Hierosolymitani. Primus est sublunaris, constans ex elementis et mixtis, cui respondet atrium templi illius : secundus est cœlestis, continens firmamentum et alios orbites cœlestes, cui respondet sanctum: tertius supramundus, continens cœlum empyreum : cui respondet Sanctum sanctorum. Recte autem universum templo comparatur ob similitudinem inter utrumque non modicam. Nam in templo mundi tectum est firmamentum, et cœli, qui supra ipsum sunt : lampades sunt stellæ firmamenti : candelabrum septiceps sunt septem planetæ : tapetia sunt variorum colorum nubes in aere suspensa : parietes sunt montium juga, quibus incumbere videtur cœlum, et procul eos aspicias : parietum picture sunt silvæ et horti : mare æneum seu lavatoria, baptisterium et aqua lustralis sunt quasi mare et flumina aspersio aquæ benedictæ, pluviae: pavimentum, terra : sedilia, aer, aqua, terra, montes, silvæ, specus, regiones, civitates, oppida, pagi: altaria sunt templo cœteris ædificiis communiter altaria : sacerdotes sunt homines : cantores, aviculæ: populus bestiæ aliæ : campanæ sunt tonitrua : preces horariæ et laudes Dei sunt functiones omnium creaturarum ; cum enim ad fines suos tendunt, ad quos creare sunt, Deum consona voce laudent. Unde David omnes creaturas ad laudem Dei excitat, et veluti ad chorum convocat, ut suo modo omnes canant, Psalm. CL. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis; laudate eum omnes angeli ejus, etc.* Concio est doctrina quam tradit nobis Deus, per contemplationem creaturarum quibus velut vocibus partim edocet nos Dei naturam et attributa, veluti immensitatem per magnitudinem terræ, maris, montium : pulchritudinem per solem, lunam stellas, flores, gemmas : potentiam per structuram tanta molis cœlorum firmitatem, nubium volatum, terræ consistentiam super nihilo, etc. sapientiam per tantam rerum varietatem, subti-

litatem, ordinem, compositionem : providentiam per celorum motum : perfectionem per rerum omnium perfectionem, etc. Per hæc enim omnia, invisibilia Dei conspiciuntur, Rom. I.

Cœterum, quia in templo isto sacerdotum, id est, hominum major pars officio suo deest, adeoque mundum istum infinitis sceleribus, spurciis carnalibus et spiritualibus per multa sæcula contaminat, idcirco priusquam is renovetur ad statum alterius sæculi, expiandus erit. Quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita tunc fiet per ignem.

IV. Est unusquisque fidelis, teste apostolo, I. Corinth. III. *Nescitis quia templum Dei estis?* et II. Corinth. II. *Vos estis templum Dei vivi.* Ratio prima est quam mox subdit apostolus : *Sicut dicit Deus, inquit, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, ipsi erunt mihi populus.* Habitat Deus in justo per gratiam : inambulat in eo, per actus fidei, spei, charitatis, ex memoria in intellectum, ex intellectu in voluntatem ; item per contemplationem, cum deo et divinis rebus, iisque quæ ad salutem nostram pertinent, meditamus ; rursus per sacram communionem ; denique, cum nos ambulare facit de virtute in virtutem usque in virum perfectum.

Secunda ratio est, quia non absimilis templo est fidelis. Nam corpus nostrum domus vocatur, quæ per mortem destruetur quidem, sed in resurrectione recuperabitur. Unde apostolus, II. Corinth. V. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habeamus dominum non manufactum, æternam in cœlis.* Anima sacerdos est ; cor altare, in quo ignis charitatis semper ardere debet, ut præceptum est a Deo, Levit. VI. os cathedra ; lingua concionator ; oculi fenestræ ; aures binæ portæ, per quas solas ingreditur in animam verbum Dei, et fides, quæ teste apostolo est ex auditu ; lapides et cémentum sunt ossa et caro ; tectum, cranium ; tegulae capilli.

Tertia, quia simili fere modo initiatur et profanatur : initiatur et dedicatur Deo in baptismō, postea lustratur et expiatum per alia sacramenta, quomodo per aspersionem aquæ benedictæ lustratur templum diebus dominicis. Profanatur per peccatum : *Quoties aliquod peccatum, inquit Sanctus Augustinus, serm. CCX. de tempore, aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficiens, templum Dei destruimus, et ei, qui in nobis habitat, injurie irrogamus.* Videat unusquisque et introspectat conscientiam suam ; quomodo Ezechiel, cap. VIII. jubetur fodere parietem templi, et videre abominationes, quæ ibi committebantur

IN FESTO DEDICATIONIS

videtque reptilia, aliaque animalia et idola, etc. Forsitan et tu, si conscientiam tuam fodere accurate examine velis, invenies monstrata. Videbis forsitan ementes et vendentes. Arripe igitur flagellum ad exemplum Christi, et ejice turbam illam. Vedit Judas sanctificationem desertam, altare profanatum, portas exustas et in atris virgulta nata sicut in saltu vel in montibus ; et sciderunt vestimenta sua, et planixerunt planctu magno, et clamaverunt ad cœlum, ut dicitur, I. Macchab. IV. Igitur si et tu in corde tuo videas ejusmodi vastitatem, et desolationem, virtutes exustas, gratiam perditam, virgulta vitiorum nata, deplora calamitatem tuam lacrymis contritionis.

CONCIO VII.

AD QUID ÆDIFICENTUR TEMPLA ET CUR ORNENTUR.

- I. Ad sacrificandum. — II. Ad sacramenta administranda. — III. Ad verbum Dei prædicandum. — IV. Ad eucharistiam asservandum. — V. Ad orandum. — VI. Ornantur: 1. Quia palatia Dei. 2. Quia divinis privilegiis ornata. 3. Quia facta ad devotionem populi. 4. Quia sic Ecclesia catholica exaltatur. 5. Quia id fecere majores nostri semper.

THEMA.

In domo tua oportet me manere. Luc. XIX.

Sanctus Antonius abbas lamentabilem aliquando visionem et eventus futuri previsionem habuit, quam, ut in ejus vita scribit S. Athanasius, cum lacrymis recensuit dicens : « Magnum quoddam et universis sæculis inauditus imminet nefas. Magno fides catholica turbine subvertetur, et homines jumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipant. Et facta est vox Domini, dicens : Abominabitur altare meum. Nec mora visionem sequitur effectus ; nam post duos annos sæva Arianorum irrupit insania. » Hæc apud Athanasium, qui in epist. ad catholicos testatur, Arianos consueuisse subvertere tempa. Quod prævidit de Arianis S. Antonius, id heu experimur nunc in hereticis nostri temporis, Calvinistis et Lutheranis, a quibus tempa et altaria miserandum in modum passim profanata cernimus, nec in horrea modo pleraque commutata, verum et equorum stabula et in alios usus conversa ; quodque etiam dictu horrendum est, neque facile creditura posteritas videatur, in eo ipso loco, ubi tremendum Deo sacrificium non ita pridem oblatum

fuit, fuscum erectam videre licuit ab iis, quæ evangelici quam catholici dici malunt, uti testatur Stanilas Hosius card. in confess. fidei, cap. XC. Quod si aliqua catholicorum tempa superesse passi sunt, et sua evangelio tribuerunt, et tamen omnibus sacris et ornamenti misere spoliaverunt. Quis igitur hæc audiens vel videns non adnumeraret hereticos nostros mulis illis ab Antonio prævisis, et contra altare calcitrantibus omniaque dissipantibus? Non hi profecto cum Zachæo Christum in domum suam receperunt, sed e domo sua ejecerunt. Nos igitur, auditores, ut his mulis obviemus, ostendemus quam merite tempa Deo ædificemus et ornemus.

I. Ædificantur, ut in illis Deo sacrificium offeratur. In restitutione sacrificii missæ elegit Christus : *Cœnaculum grande stratum,* Marci XIV. Ejusmodi autem cœnacula sunt tempa, quasi tecta ampla dicta secundum Isidor. Decet enim, ut tam tremendum et angelis obstupescendum sacrificium non nisi in magnifica et ad hoc deputata æde fiat. Quod si in veteri lege præcepit Deus pro sacrificio illo typico construi tabernaculum idque sumptuosissimum, Exod. XXV. vetuique sub pena mortis sacrificari extra illud, Levit. L. quanto æquius est, ut verum et unicum sacrificium agni immaculati, Christi, in ejusmodi offeratur tabernaculo, quod in eum finem splendide extrectum sit? Etenim nos : *Habemus altare,* inquit apostolus ad Hebr. XIII. de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserunt. Judeis ideo præcepit Deus ad ostium tabernaculi solummodo sacrificare, non extra in aliis locis, ob periculum idolatriæ, ne Judæi cum gentibus in lucis et montibus idolis immolarent. At parie periculi erat, si sacerdotibus concederetur passim extra templum in ædibus privatis, aut alibi sacrificium offerre, quia id nec cum debita maiestate, nec absque crebris irreverentiis et sacrilegiis fieret.

II. Ut in iis sacramenta administrentur. Suntem quasi officinæ præstantissimæ pharmacorum colestium quæ nobis donavit, et confedit sanguine suo Christus. Hæc autem si passim extra Ecclesiam in ædibus quibuscumque absque necessitate dispensarentur, procul dubio vilescent; nec tam commode omnibus impetrari possent. Habent civitates suas quasdam publicas officinas, in quibus panes et carnes omnibus prostant: domum senatoriam, in qua negotia civilia pertractentur. Multo autem majoris necessitatis et utilitatis sunt sacra: templo igitur indiget eorum dispensatio. Multa propria domicilia non habent; Ecclesia pandochion est, uti vocatur Lucæ X. id est, omnium divisorium. Satius etiam est, ut

hæc tam nobilia pharmaca quærantur in sua officina, quam ut ipsa nos quærant in nostris domibus.

III. Ut in iis verbum Dei populo prædicetur. Tametsi enim Christus et apostoli omni loco docuerunt, maxime tamen in templo et synagogis. Deinde, illi adhuc militem colligebant : collecto illo, postquam Christiani creverunt in populum aliquem, mox extrectæ sunt ecclesiæ, in quibus verbum Dei audiretur. Habet unaquæque civitas scholas suas publicas, in quibus ruditis pueritia et juventus erudiatur. Cur non habet etiam Ecclesia Christi? Schola igitur nostra templum est; ideo fideles in Scriptura sæpe vocantur discipuli. Viderint igitur, qui, cum in doctrina evangelica rudes sint, negligunt hanc scholam; quia cum tempus examinis et ascensus advenerit, non tantum non ascendent ad cœlestem gloriam, sed per eribrum incident, et dejicientur in abyssum, quia :

Si quis ignorat, ignorabitur, ait apostolus, I. Cor. XIV. id est, reprobabitur, dicente Deo : Nescio vos. Talibus ait Sophonias, cap. II. Convenite, congregamini gens inerudita, antequam sitis sicut flos pertransiens die, (juxta Septuaginta interp.) Cæterum licet discipuli sint fideles, pueri tamen non sunt, qui verberibus et minis adigi ad scholam debent. Neque etiam synagogæ, quæ conductionem et congregationem sonat, filii sumus, sed Ecclesiæ, quæ cœtum vocationis significat. Homines convocantur, pecudes congregantur. Nec facile se excusabunt, qui dixerint se non indigere hac schola, quia Christiano perpetuo discendum est. Marcus Aurelius imper. jam senex certi philosophi auditorum frequentabat, dicens : Honestum est seni discere, Philostrat. Multo honestius est christiano etiam seni discere quæ ad salutem spectant.

IV. Ut in iis ss. eucharistia et sanctorum reliquiæ asserventur. Si enim pro arca foderis asservanda voluit Deus ædificari templum a Salomonem : cur non magis pro eucharistia? Apes, teste Aristotele, lib. X. de animal. naturali instinctu solent regi suo regiam domum in medio alvearis ædificare, eum stipare et comitari cum sonitu, idque fecere per miraculum ss. eucharistiæ, apud Cæsarium, lib. IX. cap. VIII. capellam ei mira structura cum altari de materia favi extruendo : quidni hoc faciant Christiani regi suo Christo? Promisit olim Deus populo Hebreorum, se habitaturum in medio eorum, per specialem videlicet protectionem, et idcirco jussit sibi ædificari tabernaculum, Exod. XXV. Faciet mihi sanctuarium, inquit, et habitabo in medio eorum. Sed longe præstantiori ratione habitat in templis nostris, nimirum ut Deus homo. Si ut Deus, non

requirit templum, requirit saltem ut homo. Addit etiam sanctorum reliquias dignas esse, quibus asservandis honorifica ergantur ædificia; siquidem aliquando in ipsa cœli regia æternum habitatione sunt. Hinc Julianus martyr sibi templum erigi jubet, insigni apologeti utens coram Eulogio, ut est apud Rosweidum, lib. XL. cap. CXLVI. quando Julianus martyr in specie Juliani archidiaconi in pavimento jacens et surgere jussus, dicebat : Nisi mihi ipse manum porrigas et erigas me, surgere non possum. Intellexit ergo Eulogius ergendum ei templum. Sanctus Cornelius centurio sub dio sepultus, episcopo Scepsæorum apparuit, expostulans, quod tam diu desertus jacaret et non visitaretur. Cumque sumptus non essent episcopo ad extruendum ei templum, apparuit idem sanctus homini cuidam diviti et designavit formam templi sibi ab eo extruendi, Sur. 13. septemb.

V. Ut in iis Deus oretur : Tametsi enim et domidem inquit S. Chrysostom. hom. LXXIX. ad pop. Antioch. orari potest; sic autem, ut in ecclesia non potest; ubi tanta patrum multitudine, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur, etc. Est ergo efficacior oratio, quæ in templo fit. Primo, ob precantium multititudinem et unanimitatem. Unde ibidem Chrysostomus ait : « Hic enim majus aliquid est, puta unanimitas et consonantia charitatisque vinculum et sacerdotum orationes; propterea namque sacerdotes præpositi sunt ut multitudo orationes, cum sint infirmiores, hisce potentiores, adjungentes pariter cum illis in cœlum ascendant. » Sic ille. Quemadmodum cum magnus aliquis dominus admittitur per portam, facile cum illo insinuant se aliqui, ut simul ingrediantur : ita preces imbecillorum facile et ipsæ cœlum penetrant, si insinuant se precibus fortiorum. Hinc jubet David laudare Deum in cithara et choro, chordis et organo, Psal. CL. quia uti plures chordæ et fistulæ concinnatae melius sonant, quam una : ita et preces multorum, juxta id Matth. XVIII. Ubi duo vel tres, etc. Secundo, quia multa ibi sunt, quæ devotionem in orantibus excitant, uti loci ipsius consecratio, sanctorum, qui ibi vixerunt aut requiescent reliquiæ vel monumenta, imagines, miracula, missæ sacrificium, exempla aliorum, etc. Hinc ad incunabula Christi Bethlehemitica tantopere anhelabat Sanctus Hieronymus eoque invitabat virgines et matronas : Sanctus Chrysostomus uero liminia et catenas apostolorum Petri et Pauli. Tertio, ob peculiarem quamdam præsentiaæ divinæ rationem, qua ibi Deus tamquam in regia et basilica sua invenitur etiam corporali præsentia, et dona ac beneficia sua liberalius ac promptius dispertit. Sic enim

IN FESTO DEDICATIONIS.

emplo Salomonis ait Dominus : Erunt oculi mei aperti, et ares meæ erexit ad orationem ejus qui in loco isto oraverit, II. Par. VI. item : Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus, III. Reg. IX. Ibi velut in proprio audientiæ loco expectat preces supplicum.

VI. Sed et ornantur tempora : ut enim parente non sunt contenti liberos suscepisse, nisi eosdem etiam vestiant et ornent, ne invenustius incendentes sibi dedecori sint : ita pii quiique non existimant satis, si templum obtinuerit, nisi in variis ornamentis multo augustius reddant, ne allando audire cogantur id Proverb. XXIV. Per agrum hominis pigrum transivi et per vineam viri stulti, et ecce tolum repleverunt urtica, aut quid simile.

Primo, ornantur, quia palatia et regiæ sunt numinis : quia nescit regum ornamenta esse splendidissima quæque, quæ haberi possunt, palatia, vestimenta, equos, currus, hortos, familiarium, etc. Unde Chrysostomus, hom. XVIII. in Acta apost. ait : « Non est res nova, tempora habere ornata et altaria Deo consecrare. Dic, oro : Si rex tibi præcepisset domum extruere, ut illie habitat, nonne omnia fecisses? Nunc igitur regia est Christi, ecclesiæ constructio; ne sumptum spectes, sed fructum computa. » Pro gladiatoriis palæstræ et amphitheatra, pro senatoribus curiæ et capitolia, lycæa pro philosophis, palatia pro mortali principe sine ulla sumptuum pœnitentia avidissime adornantur : et templum in quo requiescit Deus, in situ et squalore jaceat? Contentus quidem aliquando fuit Deus stabulo Bethlehemito : sed jam nos eo contenti esse non debemus. Satis sit vel semel Deum in stabulo jacuisse propter nos. Contemplum hoc mundi palatium, in gratiam nostram extrellum, quam id splendidum, quam ornatum? Ibi amoenissimi horti, diversis floribus velut gemmis distincti : ibi campi hinc rivulis interjecti, inde arboribus innumbrati : ibi cœlum tot rutilantibus facibus lucidum, etc. Unde et quorsum hæc tot et tanta ornamenta, nisi a Deo et pro homine ut habeat splendidam domum ? cur etiam vicem Deo non rependamus, et pro modulo nostro domum ejus adornemus?

Secundo, quia et Deus ea ornavit multis gratis et privilegiis, sua imprimis præsentia ut diximus; deinde, angelorum custodia : tertio, peccatorum indulgentia : quarto, miraculorum gloria : quinto, singulari protectione, ut contra invasores aliaque pericula illæsa conserventur, etc. Quidni igitur et nos eadem ornare decet? Si cui civi imperator Rom. domum eximeret a tributis, aliisque quibuscumque oneribus et subjectioni-

bus, donaretque aliis gratis, non dubito quin illæ domum suam ad splendorem magnis exornaret sumptibus. Rursum si quis tibi princeps donaret gemmam pretiosam, non dubito, quin eam auctoritate ostenteret. Hoc igitur nunc faciamus templis nostris.

Tertio, quia per hoc devotio populi, et cultus divinus promovetur atque augetur. Cum enim cœlestium bonorum gloriam nonnisi per considerationem et commensurationem rerum sublunarium capiamus, quo has subtiliores conspexerimus, eo magis ad supernorum bonorum apprehensionem et admirationem ascendimus. Jam vero templum, quasi cœlum nostrum terrenum est, idque repræsentat : hinc varia in illo præponuntur oblectamenta : oculorum, picturæ, vestes et vasa sacra : aurum, organa et symphonia : nari suffusus thuris, etc. Quæ dum mirantur homines, incipiunt cogitare quid in cœlo futurum sit, si hæc in terris sunt : hinc incitantur ad devotionem, contritionem, amorem virtutum, sanctorum imitationem et templi frequentationem et dicunt cum Davide : Quia melior est dies una in atris tuis super millia, Psal. LXXXIII.

Quarto, quia per hoc Ecclesia catholica exaltatur, et ab hostibus suis suscipitur : infidelium autem et hæreticorum synagogæ confunduntur et sordecent. Ita cum Urbanus papa sub Alexander imperatore pro sacris ministeriis omnia argentea fecisset, divino plane consilio Ecclesiæ Christi gloria effulgebat, sacra interim gentilium profana obsolescabant, auctoribus ipsismet imper. Nam Alexander imperator nunquam ultra quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem in fanis suis posuit, susurrans illud Persii : In sanctis quid facit aurum? Et Maximinus ejus successor, quod erat in templis auri vel argenti sustulit, anchora Herodiano, I. VII. Baron. anno Domini 233 Hac eadem ratione offenduntur hæretici hujus temporis splendore et ornato templorum nostrorum, dum vident nihil auri vel argenti, nihil sumptuosum vel pretiosum reperiri in suis templis, sed omnia nuda, lurida, obsoleta, in nostris vero templis maximum splendorem et plurimas divitias. Et quomodo non pudeat eos summet, dum fateri coguntur, a se vel majoribus suis veluti ab crucis omnem templorum florem et decorum jam olim esse depastum, non aliud superesse, nisi squalorem et pauperiem vesanæ suæ testem.

Quinto, quia id fecerunt et majores nostri cum potuerunt, maxime post tempora persecutionum, ubi pax Christianis solida est per Constantiū restituta. Audi Euseb. lib. IX. cap. X. « Aderat cunctis, inquit velut divino munere infusa lætitia,